Conditi Prussiarum regni memoriam anniversariam

die XVIII Januarii MDCCCLIX

in

Auditorio maximo

celebrandam

indicunt

Prorector et Senatus Academiae Albertinae.



Regimonti.

Typis Academicis Dalkowskianis.

Dissertationis
de vocabulis Homericis quae in alterutro carmine non inveniuntur
Pars altera.

Quod in priore hujus dissertationis parte proposui, non orationis sed argumenti natura effectum esse ut permulta in altero carmine Homerico saepissime in altero numquam legantur: id nescio au nullis vocabulis luculentius ostendatur quam iis quae fugiendi notionem habent. E quibus φεύγειν et φυγή quorum significatio latissime patet, utrique carmini communia sunt: nam et de iis dicuntur qui mortem effugiunt et de iis qui e periculis evadunt incolumes et de exulibus qui patriam relinquunt. Contra φέβεσθαι φοβεῖσθαι φόβος quum iis potissimum conveniant qui ab aliquo persequente in fugam aguntur, in Iliade sexcenties dicta sunt et de singulis et de exercitibus qui victorum irruentium impetum sustinere non possunt: nec vero mirum est has voces in pugnarum descriptionibus celebratissimas in Odyssea vix unquam adhibitas esse. Et φέβεσθαι quidem quod Ilias undecies habet, semel dictum est de procis per oecum Ulixi trepidantibus quos cum vaccis poeta comparat χ299 οἱ δ' ἐφέβοντο κατὰ μέγαρον βόες ὣς ἀγελαῖαι, et φοβεῖσθαι cujus in Iliade triginta quinque exempla sunt semel de canibus quos ab Ulixe in mendicum transformato lapidum jactu depellit Eumaeus π163 κνυζηθμῷ δ' ἑτέρωσε διὰ σταθμοῖο φόβηθεν; φόβος autem in Iliade undequadragies positum non est nisi

in loco spurio libri extremi 57 *οἱ δ' ἔσχοντο φόβου μεγάθυμοι Ἀχαιοί*, qui conflatus est ex hemistichio *Γ* 84 et clausula pervulgata. Ceterum casu evenit ut etiam *φύζα* (quae *φόβου κρυόεντος ἑταίρη* a poeta dicta est) in Odyssea legatur *ἐν δὲ Ζεὺς τερπικέραυνος Φύζαν ἐμοῖς ἑτάροισι κακὴν βάλεν* ξ 269 qui versus repetiti sunt ρ 438; Ilias substantivum sexies habet (*O* 366 apud Seberum excidit) et semel adjectivum *φυζακινός* *N* 102. Sed in pugnarum descriptionibus non haec tantum verba quae trepidam et praecipitem fugam, sed ea quoque quae lentiorem recessum significant, proprium locum habent: unde *χάζομαι* et *χωρέω* et quae cum iis composita sunt in Odyssea aut numquam usurpata sunt aut rarissime. Quod dicit Papius in lexico graeco sub voce *χάζω*, ejus verbi medium sensu cedendi numquam dictum esse in Odyssea, id de simplici quidem verum est, cujus Ilias trigintatria habet exempla; sed compositum *ἀναχάζομαι* quod in Iliade terdecies positum, bis in Odysseam venit η 280 *ἀλλ' ἀναχασσάμενος νῆχον πάλιν* et λ 97 *ὣς φάτ'· ἐγὼ δ' ἀναχασσάμενος ξίφος ἀργυρόηλον κουλεῷ ἐγκατέπηξα*, eodemque loco invenitur *ἅπ. εἰρ.* *ἀποχάζομαι* (95 *ἀλλ' ἀποχάζεο βόθρου*). Simili proportione exempla verbi *χωρέω* distributa sunt, ut pleraque omnia in Iliadem cadant, nonnulla tamen per Odysseae carmina sparsa hanc vocem nequaquam his poetis inusitatam fuisse ostendant: *χωρέω* 10,0 *ὑποχωρέω* 6,0 *ἀναχωρέω* 12,3 (ρ 453 *τὸν δ' ἀναχωρήσας προσέφη πολύμητις Ὀδυσσεύς* 461 *νῦν δή σ' οὐκέτι καλὰ διὲκ μεγάροιό γ' δίω ἂψ ἀναχωρήσειν* χ 270 *μνηστῆρες δ' ἀνεχώρησαν μεγάροιο μυχὸν δέ*).

Quum has quas adhuc enarravi discrepantias e diversitate materiae natas esse appareat quae utrique carmini subjecta est, tum eas ad quas nunc transeo eadem ratione explicandas esse concedetur. In eo carmine in quo nulla justae pugnae imago proponitur raram occasionem fuisse vocabula *πρόμος* et *πρόμαχος* adhibendi per se patet. Quorum illud (7,1) in Odyssea semel usurpatur λ 493 ubi Achilli umbra Ulixem de rebus a filio gestis percontatur, *ἢ ἕπετ' ἐς πόλεμον πρόμος ἔμμεναι ἦε καὶ οὐκί*; hoc (35,2) bis legitur σ 370 *τῷ κέ μ' ἴδοις πρώτοισιν ἐνὶ προμάχοισι μιγέντα* et ω 525 *ἐν δ' ἔπεσον προμάχοις Ὀδυσεὺς καὶ φαίδιμος υἱός*. Contra quod verbum *ἀριστεύειν* (13,1) Odyssea non habet nisi δ 652 (*κοῦροι δ' οἳ κατὰ δῆμον ἀριστεύουσι καθ' ἡμᾶς*), casu factum judico; nam id aeque iis convenit qui nobilitate vel divitiis atque iis qui bellica virtute praecellunt. Unde etiam *ἀριστῆες* in Odyssea non raro (sexies) adhibitum quamquam multo parcius quam in Iliade. — De *ἀλκή* jam

supra monui ejus epitheton θοῦρις Iliadi proprium esse; idem valet de attributo victoriae ἑτεραλκής (6,0) quod Homerus ubique quarto casu posuit (ἑτεραλκέα νίκην).

Posteaquam ea recensuimus quae ad pugnarum descriptiones proprie pertinent, pergimus ad vocabula locorum in quibus acies dimicantes confligere fecit Homerus, velut πεδίον τεῖχος πύλαι τάφρος et similia. Quae quum nulla Iliadis pagina non habeat, alterius carminis magna pars pervolvenda est ut unum vel alterum eorum tibi occurrat. Et τεῖχος quidem si recte numeravi non saepius in Odyssea legitur quum quinquies (quibus locis accedunt duo exempla alterius formae τειχίον): πύλαι autem ne semel quidem inveniretur, nisi tres portae in historia fabulari fictae commemorarentur, quae sunt somniorum δ 809 (quae duplex esse dicitur τ 562), Orci ξ 157 (qui etiam in Odyssea πυλάρτης audit λ 276 [4,1]), solis denique, quae criticos tantopere exercuit ω 12. At de porta qua aditus in aulam vel in urbem patet πύλαι numquam in Odyssea positum: θύραι autem quae sunt domorum etiam saepius nisi fallor quam in Iliade. Quum igitur portae moenium in Odyssea nullae sint, eo minus mirum est, γεφύρα (7,0) neque proprio sensu ibi dictum esse neque significatione spatii inter duas acies. Etiam γεφυρόω (2,0) Iliadi proprium. Contra casus tulit, ut πύργος quod Ilias quadragies bis habet, et proprie semel diceretur ξ 262 αὐτὰρ ἐπὴν πόλιος τ' ἐπιβείομεν ἣν πέρι πύργος, et semel translate λ 555 τοῖος γάρ σφιν πύργος ἀπώλεο. Idem liber duo ἅπαξ. εἰρ. habet a πύργος ducta 264 πύργωσαν τ' ἐπεὶ οὐ μὲν ἀπύργωτόν γ' ἐδύναντο Ναιέμεν εὐρύχορον Θήβην; sed πυργηδόν quod de agminibus stipatis ter usurpatum in Iliade in Odyssea non erat ubi poneretur. Plurima igitur hoc genus, quae in Iliade frequentata sunt semel vel iterum etiam in alterum carmen adscita esse et vidimus et videbimus. Quae sicut casu fieri potuit ut pluribus locis ita fieri potuit ut nullo ponerentur.

Non esset profecto cur miraremur, si in Odyssea neque τάφρος legeretur neque σκόλοπες, quorum illud in Iliade tricies sexies hoc octies legitur. Sed et hoc semel dictum est de vallis quibus muri Phaeacum instructi sunt η 145 τείχεα μακρὰ Ὑψηλὰ σκολόπεσσιν ἀρηρότα, θαῦμα ἰδέσθαι; et illud de fossa quam Telemachus per pavimentum oeci ducit ad secures impingendas φ 120 πρῶτον μὲν πελέκεας

στῆσεν, διὰ τάφρον ὀρύξας. Contra *φηγός* quod Ilias tot locis habet quot *σκόλοπες* (septies de arbore illa solitaria e campo Trojano surgente, semel in comparatione *Π* 767 cum aliis arboribus *φηγόν τε μελίην τε τανύφλοιόν τε κράνειαν*) in Odyssea non legitur.

Haec vocabula quae munitiones castrorum et urbium notant, sequantur verba ad expugnationem spectantia quae diruendi et vastandi potestatem habent. Quae omnia in Iliade multis partibus frequentiora esse quam in Odyssea vix est quod moneam: *ἐξαλαπάζειν* 9,3 *κεραΐζειν* 8,1 (*ϑ* 516 *ἄλλον δ' ἄλλῃ ἄειδε πόλιν κεραϊζέμεν αἰπήν* quocum cf. *Π* 767 *Πάτροκλ' ἦ που ἔφησϑα π. κ. ἁμήν*). *Δαΐζειν* (19,2) quod in Iliade perrumpendi et lacerandi vim habere solet, in Odyssea semel sensu dividendi usurpatum est *ξ* 434 *ἕπταχα πάντα διεμοιρᾶτο δαΐζων* et semel translatum *ν* 320 *ἀλλ' αἰεὶ φρεσὶν ᾗσιν ἔχων δεδαϊγμένον ἦτορ*; sed hic locus rationi inferendus non est, quem jam veteres obelo rectissime notaverunt.

Restat ut moneam etiam similium diversorum usum nonnihil ad discrepantias inter utriusque carminis dictionem augendas contulisse. Nam Iliadis argumento quum illae heroum pugnantium cum bestiis carnivoris comparationes apprime conveniant, factum est ut his identidem usurpatis ferarum vocabulis quinquies appositum sit epitheton *ὠμοφάγος*, quod praeter haec similia in Iliade locum non invenit, nedum in Odyssea. Aliter res habet in vocabulo ejusdem significationis *ὠμηστής* (4,0) quod semel tantum in simili positum, bis de avibus et canibus qui cadaveribus vescuntur, semel translatum *ὠμηστὴς ἀνήρ*.

Ex iis quae adhuc disputavimus apparuisse opinor, numerum vocabulorum quae alterutri carmini peculiaria sunt nequaquam angustis finibus circumscriptum esse. Nam ab Odysseae sermone non modo plurima aliena esse vidimus quae ad bellum et pugnas pertinent, velut armorum militum ducum tumultus fugae munimentorum direptionis nomina: sed nonnulla etiam huic generi conjuncta et cognata partim in Iliade longe frequentiora, partim in Odysseam numquam admissa esse intelleximus. Hinc ad ea vocabula transeo quae Odysseae propria sunt, quorum duplex genus est alterum ad res maritimas, alterum ad domesticas spectans. Ex illis autem non pauca etiam in Iliade inveniri consen-

taneum est, quippe quae res in ora maritima gestas narret, nec vero omnia. Nam quod ἅλμη (4,0) et ἁλμυρὸν ὕδωρ (8,0) in Odyssea sola frequentata sunt, id nequaquam casu evenisse judico. Salsugo enim aquae marinae non erat cur memoraretur in eo carmine, in quo aspectus tantum et fremitus maris describitur, numquam autem errores navigantium qui omnibus terrae bonis carent. Contra ad depingendum littus nil magis facit quam strepitus undarum ad arenam allisarum, unde πολύφλοισβον θάλασσαν ter tanto amplius in Iliade dictam invenimus quam in Odyssea (6,2). Quae autem ad profunditatem et immensitatem maris alti pertinent, in Odyssea saepius tangi argumenti natura fert. Hinc λαῖτμα quod illic septies legitur, Ilias non habet nisi in una clausula ἁλὸς ἐς μέγα λαῖτμα *T* 267 quae ex ι 323 translata est; nec saepius quam bis epitheton ἠεροειδής *Ψ* 744 (cujus alterum dimidium ἐπ' ἠεροειδέα πόντον item ex Odyssea desumtum est) et *E* 770 ὅσσον δ' ἠεροειδὲς ἀνὴρ ἴδεν ὀφθαλμοῖσιν. In Odyssea ἠεροειδής quindecim locis legitur, non modo cum vocabulis maris sed etiam cum σκότος et πέτρη conjunctum; altera autem forma ἠερόεις quae propter versus rationem non facile cum πόντος componi poterat, vocibus ζόφος 4,3 Τάρταρα *Θ* 13 κέλευθα υ 64 attributa est. Ceterum numquam obliviscendum, usum vocabulorum aliquatenus a casu pependisse, unde nonnulla quae ex argumenti natura Odysseae peculiaria esse conjicias, in Iliade etiam frequentiora sunt, velut βένθος 6,5.

De ventorum epithetis ἀκραής (0,3) non legitur nisi in Odyssea, ἴκμενος autem (1,4) semel in primum Iliadis librum venit cum multis aliis ad rem navalem pertinentibus, de qua translatione dixit Hauptius in additamentis ad Lachmanni librum de Iliade p. 99. Quae insulis attribuuntur sive omnibus sive certis quibusdam, Odysseae propria esse omnia, supra monui (εὐδείελος 0,7 ἀμφίαλος 0,5 ἀμφίρυτος 0,4). Λιμήν si in Iliade numquam inveniretur, nemo profecto inde colligeret hoc nomen illis poetis ignotum fuisse; sed casu accidit ut vocis in Odyssea tricies bis usurpatae etiam illic tria reperiantur exempla; unum in simili *M* 284 καί τ' ἐφ' ἁλὸς πολιῆς κέχυται (nix) λιμέσιν τε καὶ ἀκταῖς, alterum *Ψ* 745 ubi mercatorum Phoenicum maritima cum Graecis commercia tanguntur (στῆσαν δ' ἐν λιμένεσσι, Θόαντι δὲ δῶρον ἔδωκαν), tertium in versu translato *A* 432 (= π 324) οἱ δ' ὅτε δὴ λιμένος πολυβενθέος ἐντὸς ἵκοντο, de quo cf. Hauptium l. l. qui addidit nec πολυβενθής (1,4) praeter hunc locum in Iliade inveniri.

In navium epithetis similis ratio obtinet atque in maris attributis, ut non omnia utrique carmini conveniant, nam in altero maria sulcantes in altero in terram subductae naves plerumque ostenduntur. Cur igitur *κορωνίς* 13,2 Iliadi peculiare sit, minime obscurum est. Si enim imaginem castrorum Graecorum ante Trojam nobis proposuerimus ordinisque illius quo poeta naves collocatas fecit, nulla ejus imaginis pars magis in oculos incurrerit, quam puppium in terram prominentium curvaturae. Hinc toties illa formula *ἐν* vel *παρὰ νηυσὶ κορωνίσιν* (alio casu hoc adjectivum ab Homero non positum) quae nisi fallor ubicumque adhibita est, eundem versus locum occupavit *—υυ— παρὰ νηυσὶ κορωνίσι —υυ—υ.* Idem factum in duobus Odysseae locis, quorum uterque ex Iliade expressus est *τ* 183 *ἀλλ' ὁ μὲν ἐν νήεσσι κορωνίσιν Ἴλιον εἴσω* et 193 *οἰχομένῳ σὺν ν. κ. Ἰ. εἴσω.* *Πολυκλήϊς* aequa proportione in utroque carmine invenitur (6,5), quoniam transtra etiam navium subductarum oculos intuentium feriunt. Sed quum in Iliade naves quidem transtris instructae saepius memorentur, remiges autem in transtris considentes poeta numquam fecerit, apparet cur *κληΐς* quod Odyssea undecies habet in Iliade non sit nisi uno loco *Π* 170 *πεντήκοντ' ἔσαν ἄνδρες ἐπὶ κληῗσιν ἑταῖροι.* Ceterum non inutile fuerit monere, quod in usu verbi *καθίζειν* 11,21 tantum intersit inter duo carmina, ejus discrepantiae nullam aliam causam esse quam usum formulae in Odyssea frequentem ab Iliade alienum *ἐπὶ κληῗσι κάθιζον.*

Cetera quoque quae ad navigationem proprie pertinent, in Iliade aut desunt omnino aut raro admittuntur, velut *πηδάλιον* 0,5, *κυβερνήτης* (*—ητήρ*) 2,7 (*Τ* 43 *καὶ οἵ περ τὸ πάρος γε νεῶν ἐν ἀγῶνι μένεσκον Οἵ τε κυβερνῆται* *Ψ* 316 *μήτι δ' αὖτε κυβερνήτης ἐνὶ οἴνοπι πόντῳ Νῆα θοὴν ἰθύνει — κυβερνάω ἅπ. εἰρ.* *γ* 283). *Ἱστίον* quod in Odyssea undevicies legitur, Ilias (si unum simile excipias *Ο* 627 *ἀνέμοιο δὲ δεινὸς ἀήτης ἱστίῳ ἐμβρέμεται*) non habet nisi illo primi libri loco ubi Chryseidis domum deductio narratur, cui versus 433 *ἱστία μὲν στείλαντο θέσαν δ' ἐν νηὶ μελαίνῃ* peculiaris est (cf. *γ* 11) vss. 480 *ἀνὰ θ' ἱστία λευκὰ πέτασσαν,* 481 *ἐν δ' ἄνεμος πρῆσεν μέγαν ἱστίον* ex Odyssea translati. Qua in re non possum non dissentire a Mauricio Hauptio, harum rerum judice intellegentissimo et acerrimo, qui in hoc translationis genere offendit. Immo vero ut dicam quod sentio, equidem offenderem si hic locus a ceteris ejusdem rei descriptionibus multum discreparet. Nam habent hoc hi poetae, ut ad res saepius enarrandas (quales sunt praeter

navigationem epulatio sacrificatio vestium et armorum indutus et similia) iisdem verbis uti ament, sive ea ipsi invenerunt, sive ex aliorum carminibus mutuati sunt. Qua in re non id egisse mihi videntur ut formulas constanti usu vulgatas superstitiose servarent, multo minus autem ut dedita opera variarent. Non possum autem satis mirari criticos nonnullos, qui quum illa ab Homero abjudicent quae a solita ratione discedunt tum illa in suspicionem vocant quae cum aliis carminum Homericorum locis concinunt: haec enim servilem imitationem prodere ajunt, illa recentioris aetatis dictionem. Ceterum vix unquam certo sciri poterit, utrum auctor narrationis de Chryseide ex Odyssea hauserit, ut Hauptio videtur (l. l.) an is qui navigationem Telemachi narravit ex hoc loco, quae est Nitzschii sententia (Adnot. ad Odysseam Vol. I. p. 125). Hoc fortasse dijudicari posset, si carmina Homerica haberemus qualia primum fusa sunt: sed quum plus uno saeclo unius memoriae ministerio ea propagata esse constet, fieri non potuit quin in carminibus argumenti cognati plurima invicem huc illuc transferrentur, donec loci ab initio dissimiles quasi gemelli evaderent. Ceterum tantum abest ut narratio de Chryseide servilem prodat imitatorem ut nonnulla habeat in Odyssea inaudita velut *ἱστοδόκην ἀπ. εἰρ.* 434. Sed redeo unde digressus sum. *Ἱστός* (9,33) in Iliade praeter versus allatos malum significat *Ψ* 858,872 quem Achilles erigit, ut columba superne alligata sagittis petatur, reliquis locis telam. Quod de malo et velo, valet etiam de remo; nam *ἐρετμόν* quod Odyssea vicies sexies habet, in Iliade non est nisi in versu translato *A* 435 *καρπαλίμως τὴν δ' εἰς ὅρμον προέρεσσαν ἐρετμοῖς* (= 0497); epitheton autem *εὔηρες* illic frustra quaeritur (0,6), item composita *δολιχήρετμος* 0,6 *ἐπήρετμος* 0,6 *φιλήρετμος* 0,8. Sed casu accidit ut *ἐρέσσειν* vox ne in Odyssea quidem frequens (nam ter tantum ibi legitur et semel *προερέσσειν* *ν* 279) praeter versum allatum adhibita sit *I* 361 *νῆας ἐμάς, ἐν δ' ἄνδρας ἐρεσσέμεναι μεμαῶτας*, et *ἐρέτης* quod Odyssea quinque locis habet, ter *A* 142, 309 *B* 719. Sed *κέλλω* Odysseae peculiare est (0,5) item *πρυμνήσια* 1,11 (*A* 476 *δὴ τότε κοιμήσαντο παρὰ πρυμνήσια νηός* ex Odyssea desumtus est). Etiam *ἤια* (1,7) ideo in Odyssea tanto frequentius est, quia ubique de navigantium commeatu dictum est excepto uno loco *ε* 368 *ὡς δ' ἄνεμος ζαὴς ἠίων θημῶνα τινάξῃ*; locus Iliadis est *N* 103 *λύκων τ' ἤια πέλονται*.

His percursis ad alterum genus vocabulorum Odysseae propriorum transimus quae ad accuratiorem rei domesticae descriptionem pertinent. Quorum enumerationem incipiam a duobus foci vocabulis ἐσχάρα 1,10 (*K* 418 ὅσσαι μὲν Τρώων πυρὸς ἐσχάραι) et ἑστίη sive ἱστίη 0,4; de vocibus ab ἑστίη ductis ἐπίστιον uno loco ζ 265 legitur, ἐφέστιος 1,3 (*B* 125 Τρῶας μὲν λέξασθαι ἐφέστιοι ὅσσοι ἔασιν) ἀνέστιος *I* 63 (ἀφρήτωρ ἀθέμιστος ἀνέστιός ἐστιν ἐκεῖνος Ὃς πολέμου ἔραται, quos versus spurios esse alio loco probabo). De ceteris domuum partibus δάπεδον (1,9) semel in Iliade usurpatum est, ubi poeta deos in domo Jovis coenantes facit χρυσέῳ ἐν δαπέδῳ *Δ* 2, αἴθουσα aliquoties, ut tamen epitheton ἐρίδουπος quod in Odyssea septem locis ei adhaeret, non appositum sit nisi in versu ex Odyssea expresso *Ω* 323 (= *o* 146,191)*). Coenacula in quibus mulieres habitabant, in Iliade non potuisse commemorari nisi rarissime per se patet: hinc ὑπερώιον quod in Odyssea vicies semel legitur, in Iliadem bis tantum admissum est. Altero loco *B* 514 Mars, altero *Π* 184 Mercurius narratur cum virgine in mulierum habitaculo clam concubuisse: uterque Odysseae imitationem prodit. Quae porro in domo hospitali advenis praeberi solent, Odysseae peculiaria sunt pleraque omnia, velut solium balneare, aqua ad manus lavandas, cibus lectus vestis. Δέμνιον (1,12) Ilias uno loco habet eoque ex altero carmine translato *Ω* 644 δέμνι' ὑπ' αἰθούσῃ θεμέναι καὶ ῥήγεα καλά = *δ* 297; item ἀσάμινθός 1,10 (*K* 576 εἰς ῥ' ἀσαμίνθους βάντες ἐυξέστας λούσαντο = *δ* 48); χέρνιψ (0,8) numquam, quia adhibendae formulae χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα nulla fuit occasio. An quisquam credet manuum lavationem ab Iliadis poetis alio vocabulo notatam fuisse? Ne is quidem opinor qui nesciret χερνίπτεσθαι dictum esse *A* 449 χέρνιβον *Ω* 304. Nec dubitandum erit quin βρώμη 0,5 et βρῶσις (1,8) ideo in Odyssea fere sola usurpata sint, quia ibi toties de cibis sermo est qui hospitibus praebentur ac de viaticis quae navigantes secum ferunt. Ceterum unus Iliadis locus *T* 210 πρὶν δ' οὔ πως ἂν ἔμοιγε φίλον κατὰ λαιμὸν ἰείη Οὐ πόσις οὐδὲ βρῶσις — ostendit si res saepius memorata esset, futurum fuisse ut verbum pluries adhiberetur. Hinc etiam ἄλφιτον in Odyssea longe frequentius est (3,13). Loci Iliadis sunt *Λ* 631 et 640 ubi Nestor vulneratum Eurymedontem cibis et potione fovet et *Σ* 560 ubi imago messis scuto Achilli inlita describitur (δεῖπνον ἐρίθοισιν λεύκ' ἄλφιτα πολλὰ

*) De duobus locis *Y* 50 ἀκτάων ἐριδούπων et *κ* 515 ποταμοὶ ἐρίδουποι supra monui.

πάλυνον, quem exitum duo Odysseae versus habent λ 28 ξ 77). His omnibus perpensis nec id opinor mirabile videbitur quod ἐσθής in Odyssea quinquies decies, in Iliade numquam positum est; nam etiam hujus vocabuli quod tam late patet quam latinum vestis, in descriptione rei domesticae proprius locus est. Ceterum altera forma ἔσθος est in extremo libro Iliadis de velamento quo Thetis caput operit 94 τοῦ δ' οὔτι μελάντερον ἔπλετο ἔσθος. Ac vel eae voces quae singulas vestium species indicant, in Iliade rarae sunt quamvis heroum vestitus aliquoties describatur: χλαῖνα 8,52 φᾶρος 6,26 ῥῆγος 2,12 (Ι 657 κῶεά τε ῥῆγός τε λίνοιο τε λεπτὸν ἄωτον, alterum Ω 644 jam supra monui ex δ 297 desumtum esse). Neque κῶας in Iliade legitur praeter locum ex nono libro modo allatum, contra in Odyssea duodecies, nam toties pelli villosa sellae vel cubilia sternuntur. Ac nescio an huic generi adscribendum sit χρῆμα quod omnia bona quibus utimur comprehendit; nam id quoque in Odyssea sola invenitur (0,14). Fateor hoc mirabile videri, praesertim quum substantiva a κτάομαι ducta in Iliade non ita rara sint: κτῆμα 19,42 κτέατα 5,10 κτῆσις 6,5; nec tamen obliviscamur, quantum in his rebus casui tribuendum sit.

Praeter rerum et locorum de qua adhuc diximus diversitatem diversitas personarum spectanda est, quae multas discrepantiae inter utrumque carmen causas attulit. Qua in re id maximum momentum fecit quod in Iliade dii et multo plures inducuntur et multo saepius; unde etiam deorum epitheta illic multo plura adhibentur. Velut Junonis quae in Iliade quasi primas partes agit, in Odyssea ter tantum in transcursu mentio facta est: δ 513 σάωσε δὲ πότνια Ἥρη (Agamemnonem domum navigantem) λ 603 qui ex theogonia Hesiodea 952 irrepsit (παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου — de Hebe sermo est) μ 72 denique ἀλλ' Ἥρη παρέπεμψεν (navem Argo) ἐπεὶ φίλος ἦεν Ἰήσων. Quid est igitur quod miremur epitheton βοῶπις huic deae quasi quodam privilegio attributum in Odyssea non legi? Nam praeter duos locos quos Aristarchus aliis de causis pro spuriis habuit (Γ 144 Κλυμένη τε βοῶπις, Σ 40 in catologo Nereidum Ἁλίη τε βοῶπις) semel de heroina dictum est Η 10 Φυλομέδουσα βοῶπις, at de Junone quatuordecies. Item ποδήνεμος constanti usu Iridi appositum (10,0), quam in Odyssea numquam inductam esse

notum est. Eadem de causa epitheta Martis pleraque omnia Iliadi propria sunt: Ἐνυάλιος 7,0 θοῦρος 11,0 ἀνδρειφόντης 4,0 ταλαύρινος πολεμιστής 3,0 (praeterea ταλάυρινον πολεμίζειν H 239) μιαίφονος 4,0. Unum βροτολοιγός 12,1 in Odysseam translatum est θ 115, ubi Euryalus luctator Phaeax βροτολοιγῷ ἶσος Ἄρηι audit. Contra in illa narratione de Martis Venerisque adulterio Mars χρυσήνιος vocatur θ 285, quod huic deo qualem Ilias ostendit minus convenire apparet. Ibidem Apollo in numero deorum inducitur, qui Martem cum Venere in vinculis cubantes spectant, praeterea semel diei festi mentio incidit qui Apollini celebratur: unde his duobus locis epitheta in Iliade toties redeuntia adsciscuntur: ἑκηβόλος 8,0 ἑκατηβόλος 6,2 (θ 339 αἲ γὰρ τοῦτο γένοιτο, ἄναξ ἑκατηβόλ' Ἄπολλον. ν 278 ἄλσος ὑπὸ σκιερὸν ἑκατηβόλου Ἀπόλλωνος) ἑκατηβελέτης A 75 ἕκατος 4,0 ἑκάεργος 17,1 (θ 323 ἦλθεν δὲ ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων). Ipse summus Juppiter non saepe in Odyssea rebus humanis inseritur, unde non omnia adjectiva quae ejus nomini ad versus complendos apponuntur in hoc carmine locum invenerunt, velut ἀργικέραυνος 3,0 ὑψίζυγος 4,0 ἀστεροπητής 5,0; alia admissa quidem sed raro: ὑψιβρεμέτης 4,2 Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω 7,1 (φ 415 ὅττι ῥά οἱ τέρας ἧκε Κρόνου παῖς ἀγκυλομήτεω); ἐρίγδουπος Jupiter in Iliade septies in Odyssea ter vocatur. Contra epitheta Minervae (γλαυκῶπις) Neptuni (γαιήοχος ἐνοσίχθων) Mercurii (διάκτορος ἀργειφόντης) aequa proportione in utroque carmine leguntur. Quod ἁγνός 0,5 in Iliade numquam reperitur, id in voce tam raro adhibita partim casui tribuendum puto, partim eo explicandum quod ter Dianae appositum est semel Proserpinae, quarum haec in Iliade numquam memoratur illa raro; praeterea semel ἁγνὴ ἑορτή φ 259. Ceterum non deorum solum, sed rerum quoque ad deos pertinentium in Iliade multo frequentior mentio est. Hinc αἰγίς quod illic undecies hic non legitur nisi χ 297 δὴ τότ' Ἀθηναίη φθισίμβροτον αἰγίδ' ἀνέσχεν; νέκταρ 5,2 (ε 93 ι 359) νεκτάρεος 2,0. Ἐφετμή quod Odyssea non habet nisi in uno versu spurio δ 353 οἱ δ' αἰεὶ βούλοντο θεοὶ μεμνῆσθαι ἐφετμέων, in Iliade novies est quia plerumque (septies vel octies) de jussis deorum usurpatum est. In idem genus cadit ἄφθιτος 8,1 (quinquies de rebus divinis).

A dis immortalibus ad gentes hominum transimus et urbes; quarum in Iliade multo plures nominari consentaneum est. Praeterea eo differunt duo carmina

quod plerique populi illic bellum gerentes hic pacem agentes proponuntur, unde illi epithetis ad bellicas virtutes spectantibus ornari solent, hi ad artes pace cultas. *Ἐρίηρες ἑταῖροι* quod paci aeque ac bello convenit utrique carmini commune est: *ἐριήρης* (quod etiam cum *ἀοιδός* compositum *α* 346 *θ* 62,471) in Iliade septies legitur, in Odyssea decies septies. *Δολιχήρετμος* et *φιλήρετμος* in Iliade frustra quaeri monui, quae sunt Phaeacum Taphiorumque epitheta; item *ναυσίκλυτος* 6,0 (Phaeacum et Phoenicum, altera forma *ναυσίκλειτος* semel *ζ* 22). Contra *φιλοπτόλεμος ταχύπωλος* et similia ab Odyssea aliena sunt. *Φιλοπτόλεμοι* 10,0 vocantur Achaei Trojani Myrmidones Leleges, semel *ἕταροι* *Ψ* 5, *ταχύπωλοι* 11,0 Achaei, Danai. Nec *ἀνέρας ἱπποκορυστάς* 5,0 habet Odyssea. *Ἱππόδαμοι* 45,3 Trojani audire solent, sed quoniam hoc ad singulos quoque heroas translatum est, ter in Odyssea locum invenit *γ* 17 (Nestor) *γ* 181 (Diomedes) *λ* 300 (Castor). *Χαλκοχίτωνες* quod Ilias tricies semel habet, bis in Odysseam venit (*α* 286 *δ* 496 *Ἀχαιῶν χαλκοχιτώνων*). *Ἀγέρωχοι* 7,1 quinquies Trojanis semel Mysiis semel Rhodiis appositum, semel *λ* 285 *Περικλύμενόν τ' ἀγέρωχον*. Sed quoniam nationum quae in Iliade nominantur, multo major numerus est, in eo carmine etiam alia epitheta saepius adscita esse ipsa res fert. Hinc *ἑλίκωπες Ἀχαιοί* non legitur nisi in Iliade 6,0 *), *καρηκομόωντες Ἀχαιοί* illic vicies sexies, in Odyssea quater (praeterea *κ. ἑταῖροι* *β* 408) *ἐυκνήμιδες* paullo saepius. Addo urbium et regionum epitheta, quae eadem de causa in Iliade longe frequentiora sunt. In horum numero est *ζάθεος* 7,0 quod Homerus numquam non cum urbium vel terrarum nominibus conjungit, *ἐριβῶλαξ* 15,1 *ἐρίβωλος* 6,1; quae apponuntur nominibus *Τροίη Φθίη Τάρνη Θρῄκη Παιονίη* etc. sed etiam *ἐρίβωλον ἄρουραν* *Φ* 232. Loci Odysseae sunt *ε* 34 (*Σχερίην ἐρίβωλον*) et *ν* 235 (*ἀκτή — ἐριβώλακος ἠπείροιο*). Sed haec materia tam larga est ut ne nunc quidem exhauriri possit, unde ea quae restant in aliam opportunitatem differenda sunt.

*) *ἑλικώπιδα κούρην* *Α* 98.



Quaestiones literariae
civibus academicis
in hunc annum ad concertandum propositae.

Facultatis theologicae.

Doctrina de ecclesia recentissima a Kliefothio defensa cum bibliorum sacrorum et symbolorum evangelicorum doctrina comparetur.

Facultatis Jurisconsultorum.

1. Interpretatio legis 35 pr. § 1—5 D. de heredibus instituendis (XXVIII, 15).
2. Interpretatio cap. 28 X. de jurejurando (II, 24).

Facultatis medicorum.

1. Disquisitiones de molluscorum gasteropodum tubi alimentarii textura.
2. Satis notum est, fila spermatica ranarum aliorumque animalium in canaliculis seminiferis testiculi vel in semine e testiculo recens expresso immobilia, certis tantum conditionibus moveri. Quaeritur, num etiam fila spermatica nonnullorum animalium crustaceorum, quae prorsus immobilia esse viri docti censent, ullo modo moveri possint? Simul evolutio et introitus eorum in ovula investigentur.

Facultatis philosophorum.

1. Oeconomices nomen antiquis non idem significabat quod nobis. Explicetur igitur e scriptis praecipue Aristotelis et Xenophontis, quae fuerit e sententia eorum natura et indoles oeconomices, quemque locum tenuerit inter ethicen et politicen, nec non artem quaestuariam sive chrematisticen.

2. Jussu papali Rafael Santius Romam antiquam descripsit formamque urbis in tabula delineatam addidit. Ad nostram aetatem sola prolegomena pervenerunt, inserta in epistolam, quam olim Balthasar Castiglione, orator apud Leonem X. P. M. concepisse credebatur. Qua in descriptione multa aedificia in singulas classes distributa sunt. Examinetur, qua scientia architecturae antiquae et gothicae instructus pictor celeberrimus hanc distributionem instituerit. Eam epistolam duo libri continent, alter plurimis adnotationibus illustratus, quem Daniel Francesconi ita inscriptum edidit: „Congettura che una lettera creduta di Baldessar Castiglione sia di Rafaelle d'Urbino. Firenze 1799"; alter a Joanne Passavantio compositus: Rafael von Urbino Vol. I, p. 539. In sermonem vernaculum versa invenitur in his libris: „Beschreibung der Stadt Rom Vol. I, p. 266. Guhl Kuenstlerbriefe Vol. I, p. 135."

3. De acido Kynurenico. Quomodo sit parandum, quaenam ejus compositio, quaenam praestantiora ejus sint connubia, experimentis dilucide exponatur.

